



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Archdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

De Controversijs Polemicis, & Scholasticis, etiam modernis

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

P. 2. Dolor ex Metu gehennæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40853

P. 2. Dolor ex metu gehennæ.

2. **E**X superiori doctrina profluit hæc : Peccat omnis qui de peccatis dolet ex metu gehennæ absque charitate : Imo etiamsi doleat ex desiderio salutis æternæ. Quia hic actus non concipitur ex amore Dei, sed ex desiderio salutis propriæ.

Doctrinam oppositam sonat Tridentini canon 8. Sessiois 6. Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccato abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere, anathema sit, de quo latius infra part. 3. quæst. 21.

P. 3. Attritio in Sacramento.

3. **I**N Sacramento Penitentia non sufficit Attritio, sive dolor de peccatis ex metu gehennæ, cum spe veniæ, & proposito emendationis.

Sufficere autem istam Attritionem ex Tridentino Sess. 4. cap. 4. aliisque fusius ostendo partis tertiæ. q. 21. §. 2.

Quod si quis pergat ad dolorem in Sacramento requirere. Amorem Dei super omnia, qui per se absque Sacramento justificet; Unum è duobus præterevidetur, Aut Absolutionem Sacerdotis peccatorem Deo non reconciliare, contra Tridentium Sess. 14. cap. 14. cum id per se præstet solus amor ante absolutionem elicitus. Aut certè dilectionem Dei super omnia vim non habere per se reconciliandi peccatorem absque Sacramento; quod damnatum est in Baij articulo 32. Charitas illa quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.